

CONCIO II.

DIVITIL CUR SPINÆ.

I. Quia pungunt et cruciant. — II. Quia vulnerant.
III. Quia venenata animalcula fovent. — IV. Quia
prætereuntes spoliunt. — V. Quia fortiter reti-
nent. — VI. Quia abjiciuntur.

THEMA.

*Aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ
suffocaverunt illud.* Luc. VIII.

Non immerito miratur S. Gregorius papa in hom. super hodiernum evangelium, quod Servator noster parabolam hanc exponens, divitias vocat spinas. *Quis enim, inquit, mihi unquam crederet, si spinas divitias interpretari voluissem? Maxime cum illæ pungant, istæ delectant? Et tamen spinæ sunt, etc.* Nimirum hostis humani generis rerum nomina et vocabula mutavit et pervertit, velut si quis pharmacopolium clanculum ingrediens, pharmacorum titulos mutaret, ut pyxidi quidem theriacæ, vocabulum veneni apponeret, et e contra. Fecit hoc malignus ille hostis: nam divitias et voluptates vocavit eas res, quæ spinæ et tribuli erant, avaritiam vocavit parcitatem, superbiam honestatem, crapulam hilaritatem, etc. Videamus ergo nunc, quam vere dixerit Dominus, divitias esse spinas.

I. Spinæ pungunt, et ita quidem, ut semper crucient, quamdiu infixæ sunt. Idem faciunt divitiæ, pungunt enim et cruciant divitum animos curis et anxietatibus. Primo, in acquirendo, quomodo desideratam prædam venentur, sicut Achab, cum negaretur ei vinea Naboth, venit in domum suam indignans et frendens, projecitque se in lectulum, nec voluit comedere, III. Reg. XXI. item quomodo lucrentur et non perdant, quomodo caro vendant. Metuunt ne rerum pretia minuantur, etc. et possint dicere illud Psalmi LXXXIX. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Quemadmodum enim aranea se eviscerat ad texenda retia et capiendas muscas: ita divitiis inhiantes meditantur dies ac noctes, quomodo lucrentur et captent aliorum substantias.

Secundo, in conservando et augendo, quomodo parta custodiant et defendant ab insidiatoribus, quemadmodum ille dives, qui dicebat: *Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? Hoc faciam, destruam horrea mea et majora faciam, et illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, etc.* Luc. XII. Anacreon philosophus, cum a Polycrate Samiæ rege dono accepisset decem millia ducatorum, mox in tales animi curas et phantasias incidit, ut triduo insomnis esset; itaque

remisit donum, dicens ut retineret sibi res suas, quando aliud præter curas et inquietudinem nil donare posset. Simile est, quod scribit Æn. Sylv. l. IV. de rebus gestis Alphonsi, Sigismundum imperatorem, cum ex Burgundia quadraginta aureorum millia accepisset, et ad mediam usque noctem cogitabundus jaceret, in quemnam usum eum eas pecunias converteret, tandem intempesta nocte aulæ proceres convocari jussisse, iisque pecuniam omnem dono dedisse, his verbis: « Ecce crudelissimi hi hostes ac carnifices somnum mihi eriperunt: accipite et inter vos dividite, ut tranquille dormire liceat. » Illis porro abeuntibus addidit: « Recedit jam a me tortor ille, qui me flagellavit: securis jam quiescam. »

Tertio, in perdendo et expendendo, quomodo ea bene collocent, cui eadem relinquunt, etc. De hoc ait Sophar, apud Job. c. XX. *Divitias, quas devoravit, evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus.* Quis autem nescit vomitum cum magna difficultate et corporis concussionem, ac faucium strangulationem fieri? Et quis explicare queat, quantam difficultatem sentiant divites, cum jam morituri relinquere opes suas debent?

II. Spinæ vulnerant, ita quidem ut incaute apprehensæ, simul plura infligant vulnera; similiter et divitiæ, quæ hominem ad varia peccata trahunt, iisque cruentant. De his enim scribit apost. I. Tim. VI. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide et inseruerunt (Græce transfixerunt) se doloribus multis.* Quorsum autem rapiunt divitiæ nisi in ea peccata, quæ S. Gregorius, l. XXXI. moral. c. XVII. avaritiæ filias appellat; proditioes, fraudes, fallacias, perjuriam, inquietudinem, violentiam et contra misericordiam obdurationes cordis? Exemplo est Judas, qui cum avaritiæ laqueo teneretur, incidit in laqueum desperationis, et suspensus crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus. Et hoc jure ei contingit, ait enim Ecclesiasticus, c. X. *Qui amat pecuniam, animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intimam suam.* Quia enim in vita sua projecit viscera misericordiæ erga se et alios, et pro tam vili pretio vendidit animam suam diabolo, quid mirum, si in morte etiam effudit viscera sua? Annon projecit intimam suam, qui pejerat pro obolo? Hinc sitis inexplebilis, quæ inducit hominem, ut negligat rem divinam, in orando totus distractus sit, dolos excogitet, ineat contractus usurarios pejeret et animam sibi potius, quam opes male partas eripi sinat.

Cæterum, si quis caute spinas tangat, vulnera evitare potest: ita si quis sine cupiditate pecunias tractet, si non violenter ad se rapiat, si non tenaciter retineat, sed cum honestas et misericordia jubet, erogat, sine læsione eas habere et tractare poterit. Verum: *Beatus dives, ait Sapiens, qui inventus est sine macula! Quis est hic etc.* Ut enim spinæ sine læsione vix tractantur, sic etiam divitiæ. Unde eas Crates mersit in mare, dicens: *Ego vos mergam, ne a vobis mergar.*

III. Spinæ receptant et quodammodo gignunt animalcula venenata, serpentes et similia quæ sub iis generantur et hospitantur. Ita etiam divitiæ communiter gignunt et alunt multa alia scelerata, velut insolentiam, dissolutionem, impietatem et neglectum cultus divini, contemptum proximi, luxum in vietu et vestitu, otium, etc. Hinc enim dixit apostolus, I. Tim. VI. *Radix omnium malorum est cupiditas.* In quem locum ait S. Ambrosius. *Avaritia, quia omnia mala potest admittere, ideo radix omnium malorum est.* Habet enim clavem ad omnes peccatorum januas aperientias. Ephraim et Manasses duo fratres fuerunt, Gen. XLI. Ephraim incrementum vel fructificans exponitur, Manasses vero oblivio. Ita divitiarum incrementum fratrem habet oblivionem Dei, pauperum, honestatis, legum, humilitatis, charitatis, etc. Hinc Ose. XII. dicitur: *Dixit Ephraim: Verumtamen dives effectus sum: inveni idolum mihi: omnes labores mei non inveniunt mihi iniquitatem, quam peccavi, id est, iudicem iniquitatis meæ, qui me scilicet audeat reprehendere, vel pœnam eis debitam; quia nimirum divitiarum idolum ab omnibus insidiis et miseriis potest me expedire, ideoque neminem curo. Quemadmodum igitur spinæ umbraculum et latibulum sunt serpentum, ita divitiæ peccatorum, quia illarum præsidio omnia scelerata tegi possunt et impune fieri. Sed quid hoc aliud, nisi domi suæ abscondere hostem suum et serpentem alere in sinu suo? Quid nisi patentes habere litteras eundi ad infernum?*

Ad hæc in ædibus divitum hospitantur adulatores, parasiti; insidiantur eis fures, etc. *Ubi enim multæ sunt opes, multi et qui comedunt eas, ait Eccl. cap. V.*

IV. Spinæ prætereuntes spoliunt; currus fœno, oves lana, et quandoque homines pallio, denique vicinos frutices succo, adeoque fructibus, quos hi alioquin ferrent. Hoc vero et divitiæ faciunt, quia semper aliquid decerpunt de bonis pauperiorum. Qui cum divitibus agunt, tractantque commercia, semper aliquid perdere debent et pati jacturam aliquam, valunt enim divites semper vilis emere, et carius sua vendere:

parcunt suis rebus, tollunt bona pauperum, quemadmodum dives ille parabolicus, quem proposuit et accusavit Nathan apud David, II. Reg. XI. Quando dives debitorem habet pauperem, facile eum premere potest, et compellere ad solvendum: sed quando ipse debet, difficile solvit: ad hæc spoliunt egentes debita illis elemosyna. Vicini eorumdem prope eos crescere non possunt, quia divites totum mercantia succum ad se trahunt, et vicinos suos suffocant. Ad hæc sicut spinas manibus tractare difficile est, ita cum divitibus agere. Superba enim et aspera verba promunt erga humiliores, ut de eis dictum videatur: *Exarserunt sicut ignis in spinis; quia cum strepitu et indignatione fere pauperes alloquuntur, suntque ignei et cholericus in spinis divitiarum.*

V. Spinæ fortiter retinent ea, quæ amplectuntur et implicant se iis, v. g. vestibus, ut difficile explicentur. Idem cernere est in divitiis. Hinc enim adolescens ille dives ad Christi sequelam vocatus, abiit tristis, quia scilicet dives erat valde, Luc. XVIII. Hinc divitiis addicti dicuntur a psalmista *virum divitiarum*, quasi mancipia earum.

Ad hæc sicut spinæ se incivem complectuntur: ita etiam divites mutuis propinquitatibus ita inter se nectuntur, ut nemini eorum quidquam facile detrahas, quia se mutuo juvant. Eo pertinet, quod Nahum dicitur: *Sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum (Assyriorum) pariter potentium, consumentur quasi stipula ariditate plena.*

VI. Flos spinarum amatur, sed ipsæ postmodum abjiciuntur in sterquilinum vel in ignem ad comburendum: siquidem nulli ædificio sunt utiles. In vere quidem cum florere incipiunt, ponuntur in vas aqua plenum, pulchrum et elegans, prope mensam vel fenestram, ut odorem bonum præbeant: ast ubi flos earum decidit, abjiciuntur foras aut comburuntur; ad nihil enim aliud utiles sunt. Sic divites in hoc sæculo bono quidam loco sunt et ab aliis coluntur ac honorantur: *Divitiæ enim addunt amicos plurimos, inquit Sapiens, Proverb. XIX. Ast ubi florem illum perderunt per mortem vel alium modum, abjiciuntur in infernum, cum divite epulone. Audi S. Jacobum, cap. I. Dives sicut flos fœni transit. Exortus est enim sol cum ardore et arefecit fœnum et flos ejus decidit et decor vultus ejus deperit: ita et dives in itineribus suis marcescet.*

Quare pauperes imprimis Deo agant gratias, quod ipsorum agrum Deus expurgarit ab ejusmodi spinis. Deinde, condoleant potius divitibus, quam invideant, quod ipsorum agrum spinis repletum videant. Sane sepivit Christus in hodierno evangelio hortum divitiarum spinis an-

xietatem et curarum, quas illæ gignunt, ut ab his nos averteret. Quid igitur adhuc in hortum hunc irrumpimus cum tanto nostro periculo?

CONCIO III

EFFECTUS ET SIGNA OBDURATIONIS.

I. Obdurati carent oculis. — II. Carent auribus. — III. Carent gustu seu lingua. — IV. Carent odoratu et naribus. — V. Carent sensu tactus. — VI. Carent manibus et pedibus.

THEMA.

Aliud cecidit supra petram et natum aruit.
Luc. VIII.

Pythagoræ præceptum fuit inter alia: *Ne multis verbis pauca comprehendas, sed paucis multa*, Stob. serm. XXXIII. Id vero præ omnibus mundi sapientibus accuratissime præstitit Christus in sermonibus suis. Equidem in hodierno evangelio quam plene, quam apposite depinxit naturam divitiarum, unica voce spinæ, naturam verbi Dei, una voce seminis, naturam dæmonum, una voce volueris. Atque ut reliqua præteream, vultis scire, auditores, quid sit homo obstinatus? Id unica voce petræ expressit ibidem Dominus. Quis enim nescit petram nec videre, nec audire, nec olfacere, nec gustare, nec sentire, nec moveri? At hoc totum etiam videre est in homine obstinato: uti mox videbimus.

I. Obdurati carent oculis seu visu. De illis enim testatur in hodierno evangelio Dominus, quod *videntes non videant*. Primo, non vident, non agnoscunt divinas admonitiones: sic Judas admonitionem Christi, qua velut digito notabatur de prodicione, non agnovit. Ait enim Dominus: *Ecce manus tradentis me, mecum est in mensa*; et tamen stupidus et cæcus Judas non vidit se notari. Ita obstinatus non sentit inspirationes Dei ob mentis stuporem et hebetudinem, per quam, dum totus inhæret rebus illicitis et creaturis, ineptus redditur ad attendendum rebus divinis. Et si quando ejusmodi monita videt, non agnoscit tanquam a Deo profecta, sed aliis causis adscribit. Sic Pharisæi miracula Christi, quæ non poterant negare, Beelzebub adscriperunt: sic tyranni eorumque præfecti miracula ss. martyrum præstigiis tribuerunt.

Deinde, non vident statum suum, in quo versantur, nec damnationis præcipitium, in quod ruunt obvelatis oculis velut taurus saltans ad macellum, velut equus currens ad prælium. Unde Jerem. VIII. dicitur: *Conversi sunt ad cursum*

suum, sicut equus impetu vadens ad prælium. Ita Pharaon non timuit ingredi mare rubrum post Israelitas, licet pessime sibi conscius præsentem mortem ob oculos undique versantem videret, fluctus scilicet maris: ideoque submersus est, Exod. XIV. Ita Israelitæ contra præceptum Domini et seriam Moysis dehortationem obstinati, et contenebrati ascenderunt in verticem montis, in quo habitabant Chananæi et Amalecitæ, manifestissimum subeuntes periculum, ideoque ab eis percussi et concisi sunt, Numer. XIV. Prudentes duces captant loca edita, item ventum secundum, solem aversum et pulverem: ita etiam faciunt, qui Deum timent, sed non ita obstinati, qui impetu in exitium ruunt.

II. Carent auribus seu auditu, ut etiam subdit Dominus: *Ut audientes non intelligant*. Primo igitur non audiunt Dei verbum sed fugiunt potius et occludunt aures, mentem alio flectendo, vel conciones fugiendo, etc. juxta id Job. XXI. *Dixerunt Deo: Recede a nobis et scientiam viarum tuarum nolumus*: et Psalm. XXXV. *Noluit intelligere ut bene ageret*: Isti sane difficulter curantur, quia curam non admittunt. Hinc Dominus in sanatione surdi, *suspiciens in cælum ingemuit*. Marci VII. ut indicaret, quam difficilis sit cura surdi spiritualis. Fures cum primo deprehenduntur, virgis cæduntur; si secundo redierint, auribus truncantur; si tertio, suspenduntur; ita qui auribus spiritualibus truncati sunt a dæmone, proximi sunt exitio. Quamdiu Moyses annuntiavit verbum Dei Pharaoni, erat spes aliqua conversionis ejus: sed quando demum illi Pharaon dixit: *Recede a me, et cave, ne ultra videas faciem meam*, tunc respondit Moyses: *Ita fiet ut locutus es, non videbo ultra faciem tuam*, Exod. X. sed tunc secuta est ultima et maxima plaga, et post interitus Pharaonis. Sic Christus obstinatis Judæis dixit Matth. XXIII. *Non me videditis amodo* (id est, post passionem meam) *donec dicatis*: (in judicio ultimo) *Benedictus Deus*.

Secundo, non audiunt seu curant Dei mandata, sed contemnunt et subsannant. Ita Pharaon jussus a Deo per Moysen dimittere populum Hebræum, dixit: *Quis est Dominus ut audiam vocem ejus, et dimittam Israel?* Nescio Dominum et Israel non dimittam. Ita plerique Hebræorum nuntios regis sui Ezechie monentis, ut venirent ad celebrandum Phase, nec indurarent cervices suas, irridebant et subsannabant, II. Paral. XXX. Ita paulo ante diluvium: « Multi prædicabant, (inquit Berosus Chaldæus, l. I.) et vaticinabantur, et lapidibus excidebant de ea, quæ ventura erat, orbis perditione. Sed enim illi assueti corridebant omnia, cœlestium illos ira atque ultione

perurgente pro impietate atque sceleribus. » Recentius exemplum scribit Cæsarius, lib. II. cap. IX. in hunc modum: « Ante paucos annos in Vormantia quidam episcopus fuit nomine Lupoldus, solo quidem nomine episcopus, opere autem tyrannus. Hic cum esset vanissimus, nihil in se habens pietatis, nihil religiositatis, dicebat ei quodam tempore germanus suus, vir nobilis: Domine episcope, multum scandali datis nobis laicis vestro exemplo. Antequam essetis episcopus, aliquid Deum timebatis, modo nil prorsus de illo curatis. Cui ille respondit: Frater, duo vicini erant, ex quibus unus exemplo alterius peccavit: mortui sunt simul et deducti in infernum. Cum essent in tormentis unus alteri dicebat: Væ tibi quia tuo exemplo provocatus ad peccatum merui hunc locum. Cui alter: Bone vicine, si placet tibi amplius sedes mea, trade mihi illam et ego tibi meam. Sic dico vobis, frater, quando venerimus ad inferos, si videbitur vobis sedes mea honorabilior, ascendite eam et ego recipiam vestram. Respondit ille: Mala consolatio hæc. » Videtis hic exemplum obstinati hominis. Propter hoc merentur vicissim a Deo relinqui, contemni et subsannari, juxta id Proverb. cap. I. *Despexistis omne consilium meum et increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo*.

III. Carent lingua seu gustu rerum omnium spiritualium, sanctorum, bonorum operum, orationis, piæ conversationis, etc. Sic enim de illis Ps. CVI. dicitur: *Omnem escam abominata est anima eorum et appropinquaverunt usque ad portas mortis*. Et ita Israelitæ postquam in deserto nauseam ceperunt cœlestis illius mannæ, et carnes petierunt, utpote palato adhuc redolente carnes Ægyptiacas; tunc ira Dei descendit super eos, dum adhuc carnes in ore manderent et percussit atque occidit eos, Num. XI. simili modo obstinati quia palatum habent corruptum mundi vanitatibus et voluptatibus, ideo manna spiritualium rerum eis desipit; et cum ejusmodi in medium affertur, vel incipiunt dormire, vel alia cogitare. Nimirum uti periculosissima ægritudo est, quæ a medicis appellatur nausea (ut in præd. Psalmi loco vult Bochius) cum quis solo cibi odore adeo offenditur, ut mori se malle asseveret, quam ori eum admovere, ita et fastidium rerum spiritualium signum est hominis ad interitum tendentis et desperati. Qui in sentina navis (unde nausea dicta) sunt, nauseam acquirunt et ad vomitum provocantur: ita qui in sentinam malorum devenere, nauseam acquirunt rerum spiritualium. Exemplum refert Pinellus, in lib. de missa, l. II. c. ex summa

prædic. de homine quodam prædivite, qui cum diebus festis nihil missam et rem divinam curans, equo conscenso summo mane prædia sua invisere consuevisset, et ob id ab uxore graviter aliquoties deprehensus, se quid factu opus esset scire, responderet, tandem meritis impietatis suæ pœnas persolvit. Cum enim solemnem quodam festo pro veteri consuetudine in viam se dedisset, fit ecce obvis illi diabolus in forma rustici, villici sui, cumque pedetentim eum ad ripam ingentis fossæ condurisset, in eandem illum miserabiliter præcipitavit, atque ita eundem secutus subito evanuit.

IV. Carent naribus seu odoratu: quia non sentiunt peccatorum fœtorem, turpitudinem et ignominiam. Rem fœdam ac fœtidam esse peccatum, non Christiani tantum sed et gentiles intellexerunt. Cic. l. III. offic. dixit: *Nobis persuasum esse debet, si omnes deos hominesque celare possimus, nihil tamen avaræ, nihil injuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum*: et Seneca: *Etsi scirem homines ignoraturos et Deum ignosciturum, tamen peccare nollem ob peccati turpitudinem*. Peccatum igitur cloaca est, cadaver et lepra est. Hujus tamen fœtorem non percipit obstinatus, quia peccatis plenus est, sicut alii fœtorem non sentiunt, qui alio solent vesci ejusque odore oppleti sunt; nec cloacæ fœtorem, qui cloacis purgandis student. Unde Sapiens, Proverb. XVIII. ait: *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit; sed sequitur eum ignominia et opprobrium*. Hinc peccare non erubescunt, juxta id Jer. III. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere*. Etenim ut meretrices olim non tantum cellis suis in fornice, sed et fronti inscribebant nomen suum, (uti fecit purpurata meretrix Babylon, Apocal. XVII.) ita et obstinati minime erubescunt de peccatis suis imo Sapiente attestante, Prov. II, *Lætantur cum male fecerint et exultant in rebus pessimis*. Annon hujus farinæ fuit imp. Caligula, qui dicebat se nihil magis in sua natura probare, quam inverecundiam? Annon talis C. Fimbria: « Qui (ut scribit Cicero pro Roscio) Q. Scævola virum sanctissimum vulnerandum curavit: et ubi ferrum non alte in corpus descendisse accepisset, diem illi dixit: Admirantibus cunctis, quod pontifex optimum totius civitatis civem accusaret, crimen expectantibus dixit se illum accusare, quod non totum telum corpore excepisset. » Ejusmodi vero homines morti æternæ appropinquare quis non videt? *Illud*, Greg. in Ps. I. pœnit. *verum est apertæ desperationis indicium si verecundia non sequitur peccatum*: et Seneca, in Proverb. ait: *Tunc est*

consummata infelicitas, cum turpia non solum delectant, sed etiam placent.

V. Carent sensu tactus, quia non emendantur flagellis et minis plagarum, adeo ut ea sentire non videantur. Ita testatur Jer. c. V. dicens: *Percussisti eos et non doluerunt, induraverunt suas facies supra petram: et Prov. XXVII. Contuderis stultum in pila, quasi pisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus.* Quot ictibus et plagis contusus fuit Pharao? Numquid tamen respuit? Numquid emollitus est? Quot beneficiis admonitus fuit Saul? Quot stimulis exagitatus? Numquid mentem mutavit? Quot ictibus pulsatus Judas? Christus ei pedes lavit, comminatus est, corpus suum dedit, osculum amicissimum praeiit; numquid emollitus est? Quot ictibus pulsati Judaei ne Christum morti traderent? Vident se voce ab eo prosterni, aurem Malcho sanari: audiunt ejus confessionem, audiunt Judae revocationem, et uxoris Pilati nuntium; numquid emendati? Ita videmus homines male educatos et vitiis assuetos, vix unquam emendari poenis. Qui enim primo scelere deprehensi infami loco populo ostentantur, mox redeunt ad ingenium, et tum virgis caesi ex uribus peluntur: redeunt tertio nihil emendati, et tunc auribus truncantur; nec finem male agendi faciunt donec suspendantur. Equus quantum vis ferox et indomitus si vel uno clavo in sensitiva ungula parte laedatur, ferociam deponit, dum claudicare cogitur. Sed obstinatum hominem nullus afflictionis clavus retinere potest, ne praefracto animo currat ad libidines suas et ipsum denique interitum. Unde Isaias de talibus ait c. V. *Ungulae equorum ejus, ut silex.* Cum quis ob delicta sua semel, iterum, tertio, et semper acrius incarceratur a magistratu, cum infamia notatur, cum pecuniis mulctatur, cum membro mutilatur, cum a Deo castigatur, morbo, grandine, incendio, etc. annon isti clavi sunt, quibus subnervare petulantem illum equum intendit Deus? Attamen obstinatus nihili haec facit: imo, quod stupendum, pejor inde fit et durior, uti incus crebris pulsata ictibus. Audi Job. c. XLI. *Cor ejus (inquit) indurabitur tanquam lapis, et quasi malleatoris incus stringetur.* Exemplo est Pharao, qui ex plagis obstinatio, et Nabal, qui ex correctione uxoris factus est ut lapis. I. Regum XXV. Deinde, videntur carere sensu et remorsu conscientiae, quemadmodum ebrius consopitus, de quo dicitur Proverb. XXIII. *Verberaverunt me, sed non dolui: traxerunt me et ego non sensi.* Ita enim qui vitiis inebriati sunt, ita demum consopiantur, ut non sentiant ictus et vulnera a daemonibus sibi inflictia: nec

vincula, quibus ad oreum trahuntur. Vesica pisis plena, non resonat, nec auditur: sed ea solum, quae paucula in se grana continet: ita perversi, qui peccatis pleni sunt, non sentiunt remorsus et latratus conscientiae: sed qui pie vivere constituerunt, cito ex pauculis delictis ad compunctionem excitantur.

VI. Carent manibus ac pedibus, adeoque omni motu nisi quod deorsum semper ruant, de peccato in peccatum, sursum vero ad poenitentiam et bene agendum commoveri nequeunt. Ut enim petra suoapte pondere, quaque potest, descendit, numquam vero nisi forti impulsu ascendit; ita et obstinati suoapte perversitate de peccatis in peccata ruunt, ad poenitentiam vero et pietatem vix aut nunquam impelli possunt, adeo ut Jeremias de illis dicat, c. XIII. *Si potest Aethiops mutare pellem suam aut pardus varietates suas: et vos poteritis bene facere cum didiceritis malum.* Fabulantur aliquando Aethiopem emptum esse ab aliquo, qui putabat illum non natura, sed negligentia prioris domini adeo denigratum: itaque herus lavare illum coepit, et modis omnibus tingere, quo abstergeret nigrorem; sed aliud non effecit, nisi quod Aethiopi vexando morbum attulit. Ita fere res habet cum obstinato; tametsi enim ei malitia non est naturalis, abstersu tamen perquam difficilis. Multos legitimus frustra laborasse in molliendis obduratis veluti lapidibus elixandis, uti Jonathan in patre suo Saule, I. Regum XX. qui sua lotionem id effecit, ut a patre lancea impetitus pene occisus fuisset. Nicephorus imp. iconoclasta et Manichaeorum patronus, dum Ecclesiam gravibus premeret exactionibus, omnium ordinem suscitavit querimonias et lamenta. Monitus hac de re a Theodosio Salibara patritio, respondit: *Si Deus obduravit cor meum ut Pharaonis, quid boni erit his, qui sub manu mea sunt, a Nicephoro? Theodosi noli expectare praeter ea, quae vidisti.* Item contra Bulgaros movens pacem petenti Crunno Bulgarorum regi, dare abnuit, dicens: *Qui sive Deus sive adversarius trahet me nolentem?* Sed quid actum? Crunus in furorem versus, de nocte profligavit et occidit eum cum magna parte nobilitatis. Porro ejus recisum caput per dies complures e sublimi ligno suspendit, posteaque ipsum cute nudans et argento forinsecus vestiens bibere ex eo Sclavinorum principes exemplo suo docuit gloriabundus, Zonaras, tom. III. Vultis aliud exemplum? Caesarius scribit de divite quodam in episcopatu Ultrajectensi colono nomine Godsealeo, pessimo usurario. Accidit anno Domini 1219, ut hic molam, quam tamen vesperi famulus bene adstrinxerat noctu audiret

versari. Vocavit famulum, et misit eum ad molam. Famulus illic veniens tanto pavore concussus est ut domum recurreret ad herum suum, dicens nullo se pretio illuc reversurum. Surrexit herus ejus, et induit pallium, cui crux inserta erat, (susceperat enim contra Turcas crucem) et ipse perrexit ad molam, et ibi duos nigerrimos conspexit equos, ac virum unum paris nigroris, qui jussit ut pallium deponeret, ac alterum equum ascenderet. Equitabant simul ac venerunt in infernum; ubi Godscalcus patrem invenit, ac matrem, aliosque notos in tormentis, ac in medio flammarum sedem vidit candentem, quam cum vidisset, dictum est illi: *Vade domum, post triduum morieris, et illa sede sedebis in aeternum.* Reductus est ab eodem illo duce ad molam suam, et ab uxore inventus semivivus, ac domum reportatus, narravit quaecumque in inferno viderat. Vocatus est statim sacerdos, qui ipsum ad preces poenitentiamque hortabatur, dicens quae illi videbantur opportuna; sed non movebatur iis Godscalcus. *Quid enim (inquit) preces proderunt ac confessio? Paratus mihi illic est locus, illuc ibo, nec orare nec dolere possum: frustra me monetis.* Atque ita post triduum, sine poenitentia mortuus est.

Bene igitur veteres pinxere obstinationem, forma mulieris nigris induta vestibus, quia is color a nullo vincitur, caput habentis plenum nubibus, quia radios solis, id est, lumen veritatis arceat, asini caput in manu habentis, quia id animal obstinatissimum est.

Sed quid tandem fiet cum ejusmodi lapidibus? Idem quod cum Pharaone et exercitu ejus, de quo canit Moyses, Exod. XV. *Descenderunt in profundum quasi lapis;* quia *cor durum male habebit in novissimo.* Eccles. III. Quemadmodum tauri silvestres in Aethiopia, cornua habentes mobilia, pilum in contraria versum et tergus duritiae silicis omne vulnus respientes, omne animal venantes, non aliter nisi foveis capiuntur, teste Plinio, lib. VIII. cap. XXI. Ita obdurati quia omne vulnus respuunt, ob duritiam cordis, pilos in contraria versos habent, quia peccata etiam defendunt; ideo non nisi fovea capiuntur infernali. Audi S. Bernardum, lib. de considerat. c. III. « Nemo duri cordis, inquit, salutem unquam adeptus est, nisi quem forte miserans Deus abstulit ab eo (juxta prophetam) cor lapideum et dedit cor carneum: quid ergo cor durum? Ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate molitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia saevum, inverecundum ad turpia,

impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, praeteritorum obliviscens, praesentia negligens, futura non providens, etc. » Denique concludit: « Ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur. » Haec Bern. Caeterum licet haec ita se habent, non est tamen omnino desperandum de obstinatis. Potest enim Deus Aethiopem dealbare, potest et e lapidibus filios Abrahamae excitare, potest tollere cor lapideum et dare cor carneum, ut indicavit S. Bernardus. Ad illum igitur eundem, ad illum clamandum: Percute, Domine, percutite silicem cordis nostri, et educ aquam lacrymarum, etc.

CONCIO IV.

QUEMLIBET SUO STATU CONTENTUM ESSE DEBERE.

I. Non fit tibi injuria. — II. In quocumque statu bonus esse et Deo placere potes. — III. Nescis quis tibi statu expediat, Deus scit. — IV. Varietas statuum necessaria. — V. Inferior status superiorem aquare potest.

THEMA.

Aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum. Luc. VIII.

Quemadmodum terra mala, in quam cecidit pars seminis, triplicis generis fuit, alia mala, spinosa; alia pejor, petrosa; alia pessima, quae secus viam calcata. Ita et terra bona, in quam cecidit altera pars semini, triplicis conditionis fuit, ut habet Matthaeus et Marcus: alia bona, quae tulit fructum trigesimum; alia melior, quae sexagesimum; alia optima, quae centesimum. Sed relicta nunc terra mala, de bona loquimur: cujus differentias interpretatur, S. Augustinus, Hieronymus, Cyprianus. statuum diversitatem quoad merita. Quae quidem interpretatio merito omnibus magnam afferre consolationem debet; siquidem videmus dominum sementis bene contentum fuisse, licet non omnia semina centesimum, sed alia minorem fructum attulerint. Hoc ipse enim nobis insinuat Christus se nobiscum contentum fore quocumque in statu simus, dummodo fructum afferamus, etsi non omnes maximum. Cujus rei figura videtur fuisse, munus purificandae mulieris, cum in templo praesentari deberet, Levit. XII. ut scilicet si suscepto semine peperisset, post quadraginta dies agnum afferret, vel si hunc non inveniret manus ejus par turturum; aut si nec hos, tanquam rariores habere posset, duos pullos columbarum, quos etiam pro Christo oblatos putat Mal-